

spatia à stellis accipi dicit, sed quantum plurimum tribuat, incertū est. Rara autē esse dicunt longiora tempora, quandoquidem momentis horarum insignibus luna dierumue septem atq; nouem (qua nocte ac die obseruantur) ingēs turba nascatur, scansili annorum lege occidua, quam climacteras appellant, nō fere ita genitis liiij. annum excedentibus. Primum ergo artis ipsius incōstantia declarat, q̄ incerta res sit. Accedūt experimenta & exempla recentissimi sensus, quem intra quadriennium imperatores Caesares Vespasiani, pater filiusq; censores egerunt. Nec sunt omnia uaria excutienda: mediā tantum partis, inter Apeninum Padumq; ponemus exempla. Centum viginti annos Parmæ tres edidere, Brixelli vnus. cxxxv. Parmæ duo. cxxx. Placentia vnus. cxxxij. Fauentia vna mulier. cxxxij. Bonaonia L. Terentius Marci filius, Arimini uero M. Aponius c. & l. Tertulla cxxxvij. Circa Placentiam in collibus oppidum est Velleiacium, in quo cx. annos sex detulere, quatuor centenos vicenos, vnus cxi. M. Mutius M. filius, Galerius Felix. Ac ne pluribus moremur in re confessa, in regione Italiae octaua centenum annorum censi sunt homines liiij. centenum denuum homines lvij. centenum vicenum quinum homines duo, centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut septenum totidem, centenum quadragenum homines tres. Alia mortalitatis incōstantia: Homerus eadem nocte natos Hectorē & Polydamanta tradit, tam diuersa sortis viros. C. Mario, Cn. Carbone iij. C O S S. ad v. Kalend. Iunias, M. Cæcilius Rufus & C. Licinius Caluus eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tam dispari euentu. Hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto mundo quotidie euenit, pariterq; domini ac serui gignuntur, reges & inopes.

In morbis uaria exempla.

CAP. L.

Philius Cornelius Rufus, qui consul cum M. Curio fuit, dormiens oculorum uisum amisit, cum id sibi accidere somniaret. E diuerso* Pbalereus tum deploratus à medicis vomice morbo, cum mortē in acie quæreret, uulnerato pectore medicinā inuenit ex hoste. Q. Fabius Maximus consul apud flumen Isarā, prælio commisso aduersus Allobrogum Aruernorumque gentes, ad vi. Idus Augustas cxxx. M. perduellium cæsis, febrī quartana liberatus est in acie. Incertum ac fragile nimirum est hoc munus naturæ, quicquid datur nobis: malignum uero et breue etiam in ijs, quibus largissime contingit, uniuersum utique cui tempus intuentibus. Quid, quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio uitæ suæ uiuit? pars equa mortī similis exigitur, aut pœnæ, nisi contingit quies. Nec reputantur infantie anni qui sensu carent, non senectæ in pœnam uiuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, ut nullum frequentius sit uotum. Natura uero nihil hominibus breuitate uitæ præstitit melius. Hebescunt sensus, membra torpent, præmo-

* Pheraus
Iafon

ritur uisus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta, & tamen uita hoc tempus annumeratur. Ergo pro miraculo & id solitarium reperitur exemplum, Xenophilum musicum centum & quinque annis uixisse sine ullo corporis incommodo. At Hercule reliquis omnibus per singulas membrorum partes, qualiter nullis alijs animalibus, certis pestifer calor remeat horis aut rigor: neque horis modo, sed & diebus noctibusque trinis quadrinisue, etiam anno toto. Atque etiam morbus est aliquis, per sapiētiam mori. Morbus enim quoq; quasdam leges natura posuit. Quadrimi circuitus febrem, nunquam bruma, nunquam hybernis mensibus incipere: quosdam post sexagesimum uitæ spatium non accidere: alios pubertate deponi, à feminis præcipue. Senes minime sentire pestilentiam. Nanque & uniuersis gentibus ingruūt morbi, & generatim modo seruitus, modo procerum ordini, aliosque per gradus. Qua in re obseruatum à meridianis partibus ad occasum solis pestilentiam semper ire: nec unquam fere aliter nisi hyeme, nec ut ternos excedat menses.

De signis mortis.

CAP. LI.

In signa letalia: In furoris morbo risum: sapientia uero ægritudine, simbrarium curā et stragule uestis plicaturas, à somno* mouētū neglectū, præfandi humoris è corpore pfluuium: in oculorū quidē & nariū aspectu indubitata maxime, atq; etiā supino assidue cubitu: uenarū inæquabili aut fornicante percussu: quæq; alia Hippocrati principi medicinæ obseruata sunt. Et cū innumerabilia sint mortis signa: salutis securitatisq; nulla sunt. Quippe cū Censorius Cato ad filium de ualidis quoq; obseruationē, ut ex oraculo aliquo prodiderit, senilē iuuentā præmaturæ mortis esse signū. Morborū uero tam infinita est multitudo, ut Pharecydes Syrius copia serpentium ex corpore eius erumpente expirauerit. Quibusdam perpetua febris est, ut C. Mecænati. Eidem triennio supremo nullo horæ momento cōtigat somnus. Antipater Sidonius poeta omnibus annis uno die tantum natali corripiebatur febrī: & eo cōsumptus est satis lōga senectæ.

* morientū
* profundi

De his qui elati reuixerunt. CAP. LII.

Auia cōsularis in rogo reuixit: et quoniā subueniri non potuerat præualente flāma, uiuus crematus est. Similis causa in L. Lamia prætorio uiro traditur. Nā C. Aelium Tuberonē prætura functū à rogo relatū, Messala Rufus, & plerique tradunt. Hæc est conditio mortalium: ad has & eiusmodi occasiones fortunæ gignimur, uti de homine ne mortū quidē debeat credi. Reperimus inter exēpla, Hermotimi Clazomenij animā relicto corpore errare solitā, vagamque è longinquo multa annunciare, quæ nisi à presententi nosci non possent, corpore interim semianimi: donec cremato eo inimici (qui Cantharidæ uocabantur) remeanti animæ uelut uaginam ademerint: Aristæi etiam uisam euolantem ex ore in Proconneso, corni effigie, magna quæ sequitur fabulose: quam

10

20

30

40

50